



XI, 54.<sup>o</sup>

4. 378.



1774  
M.

VLTIMA FATA,  
MORBVM, MORTEM,

ET

**SEPVLTVRAM**  
**D. CHRISTIANI KRVMHOLZII,**  
PASTORIS OLIM AD D. PETR. HAMB.

---

SVB DISCESSVM

**VIRI - JUVENIS**

PEREXIMII, POLITISSIMI, LITTERATISSIMIQVE

**JOANNIS GOTTLLOB WELLERI,**

LAVENHAYNA - MISNICI,

QVEM

E LYCEO CYGNEO

AD ACADEMIAM LIPSIENSEM

V. NON. OCTOB. A. O. C. d<sup>o</sup> I<sup>o</sup>c<sup>e</sup>. xlii. PARAVIT,

**ACTVI PVBLICO,**

AD QVEM

**VIROS**

SVMME - ET PLVRIMVM - REVERENDOS, CONSULTISSIMOS,  
AMPLISSIMOS, DOCTISSIMOSQVE

**EPHORVM, INSPECTORES GRAVISSIMOS,**

CETEROSQVE REIPUBLICÆ LITTERARLÆ

**PATRONOS,**

STVDIORVMQVE PROMOTORES ET FAVTORES

EA, QVA DECET PIETATE ET REVERENTIA, INVITAT,

PRÆFAMINIS LOCO PRÆMITTERE

VOLVIT

**M. CHRISTIANVS CLODIVS,**

RECT. ET BIBLIOTHEC. SOCIET. TEVT. LIPS. ET LAT. JEN. SOCIVS.

---

**CYGNEÆ, STANNO HOEFERIANO.**

ALTA MORTA  
MORVM MORTEM  
SEPTUAGINTA  
D. CHRISTIANI RERUM HISTORIÆ  
PARVORIS OMNIA AD ELETTRIUM  
SAB DISCESSVM  
VIRI - IURENS  
HISTORIÆ POLITISSIMÆ LITTERATISSIMÆ  
JOANNIS GOTTLORWELTERI  
PRAEANNULA - HISNICI  
E. YCLOCYNO  
AD AGAMALIA TRISTINSEN  
VCTV RABEICO  
VIROS  
SUMME ET FAVRUM KÆVERINOS CONSARTISSIMOS  
EPHRAYM INGENIORIS GRAVISSIMOS  
PATERONOS  
STUDIORVM ET PROMOTORVM ET LATORVM  
PRÆVANHUS LECO PRIMITER  
M. CHRISTIANVS CLODIAVS  
CYENNE STANNO HOFERIANO



Regitur fatis mortale genus ;  
Nec sibi quisquam spondere potest  
Firmum & stabile : Quæ per casus  
Volvitur varios, semper nobis  
Metuenda dies.

*Seneca in Octav. v. 513.*



**U**ltima fata KRVMBHOLZII, in Pathmo, Theologi, dum viveret, eruditionis laude, religionisque zelo paucis secundi, superiori jam tempore, cum adhuc in sudetibus versaremur, latino orationis stilo exposuimus. Credebamus enim, nulli in viri afflictissimi causam propiora jura competere, quam illi, qui proxima eidem cognatione conjunctus, & cui captivum ter in carcere compellare licuisset. Quæ materia, ut rara, ut nulli,

etiam causæ ejuslibet litterariæ curiosissimo, cognitu erat  
facilis; quod non cuiquam temere ad captivum patebat  
aditus: Ita a tam multis expetita est, ut exempla omnia,  
quæ vero tum paucissima erant, brevi, postquam prodier-  
rant, tempore, dissiparentur. Stat igitur sententia, mate-  
riam a paucissimis lectam, a pluribus desideratam, non so-  
lum recudere, sed & cum historia morbi & mortis, insu-  
per etiam extremos sepulturæ honores attexere. Infeli-  
cissimum enim virum ex ædibus suis armata quondam ma-  
nu raptum, custodiæ commissum, accusatum, & sententia  
Imperatoria ad perpetuos carceres, & æternas, ut vocant,  
tenebras, condemnatum fuisse, testantur annales illiustem-  
poris. Causam hujus captivitatis, continent præter alia,  
quæ pendente lite prodierunt, schediasmata, acta publica,  
quæ, si leviter tantum brachio, &c, ut ajunt, primis saltem la-  
bris tangere vellem, verendum esset, ne vel in ipsos beati  
viri manes, aut in ejus ævi judices, injurius fierem. Quare,  
misso, quod præcipuum erat, causæ argumento, ad fata  
eius extrema in pathmo, morbum, mortem & sepulturam  
discedo. Duobus nimirum annis Hamburgi in carcere  
superatis, Harburgum, in castellum urbi vicinum, brevi  
post autem tempore, quia nimis frequens erat accusfus ci-  
vium Hamburgensium, & salutatio, Hameliam ad Visurgim,  
quæ Electori Hannoverano paret, abductus est. Causam  
consilii ter immutati indicare, mearum partium non esse,  
existimo, quia tantum fata KRVMBHOLZII extrema in  
„Pathmo brevissimis verbis persequi constitui. Hamelia  
„nimirum inferioris Saxoniae oppidum, efficto quondam  
„liberorum exitu, jam captivitate & extremis ejusdem fatis  
nobile, Virum afflictissimum multos annos in carcere, pri-  
mum

tum paulo laxiori, postmodum arctiori, scilicet in turri,  
 quæ portam civitati ab Oriente dedit, continuuit. Sed  
 qvum jam dudum eadem fortis adversitate presus, diurnæ  
 lucis atque ipsius aëris incapax, rerumque terrestrium per-  
 tæsus esset, ad beatam ex his ærumnis adspiravit analysin.  
 Ne tamen in semet ipsum, et si dura passum, & fere macera-  
 tum, injurius haberi posset, rebus, quibuscunque potuit, vi-  
 tæ suæ prospexit, admotisque saltuaribus herbis, juxta præ-  
 scriptum Medici, in Cattis celeberrimi, occursavit morbo,  
 pathematibus animi, &, qvæ plura infestant valetudinem,  
 longe proscriptis. Et hoc usus vitæ moderamine, omnes  
 illas adversitates corporis, quibus succubuerunt alii, per  
 plurium annorum intercapedinem, averruncavit. Qvæ-  
 ris L. B. quo paecto captivus moræ tædia pepulerit? Eo-  
 dem, quo divus olim Joannes in Pathmo, precando, medi-  
 tando, scribendo. Ipso enim in otio semper laboriosus  
 fuit; neque enim horulam quidem labore vacuam trans-  
 misit, nec ullam diem sine linea, noctu etiam erat rara  
 quies. Nunquam ante duodecimam requisivit plumas.  
 Sæpe in habitum dormientis compositus, iterum surrexit  
 electulo, vel cantu noctuæ, quem aversatus est, expergefatu-  
 tus, vel fori strepitu turbatus. Et jam ante gallicinium  
 sedit ad lampadem. Somnia quoque vhementer conque-  
 stus est. Libros, quos legeret, præter Sacri Codicis ora-  
 cula, Plutarchi Opera, Scripta Schuppiana, & relationes,  
 quas vocant, publicas, habuit nullos, nisi quos ipsi quando-  
 que ministrarent Senatorum civitatis principes, aut urbis  
 Sacerdotes, nec, quo scriberet, atramentum, nec conger-  
 ronem, cum quo sociaret verba, nec ambulandi spatum.  
 Sed mireris, legendo, scribendo, loquendo, ambulandoque

fefellisse dies, menses, annos. Ambulavit scilicet in eadem tabula pavimenti, eadem vestigia jugiter repetens; neque enim captivo per angustias conclavis aliorum flectere licuit. Vidimus asserem tabulati, continua ejus gressibus vehementer attritum. Scripsit, liquore e carbonibus, & massa fabarum Coffe cocto, penna e flabro culinari eruta. ScalPELLI enim & cultri domestici liberam potestatem habuit. Legit atque relegit MSC. nudius tertius, aut quartus a semet ipso composita; chartæ enim ad certam mensuram ipsi data est copia. Locutus est solus cum solo, clara interdum voce, saepe veluti mussitando. Peroravit interdum forti spiritu, quam, qui gravissimam causam ageret, quandoque disputavit, tanquam præsente adversario, mox remissius, ut, qui vinceretur, mox acrius & elatius, quasi obtenta victoria. Raro cecinit, nisi populo templi militari portæ contigui symphonus. Preces tamen illius interdum à prætereuntibus longæ, ardentesque exceptæ sunt. A libertate exeundi, quæ ab initio captivitatis nunquam non indulta fuit nostro Hamelia, per octo annos ultra abstinuit, aëris, & populi male fane curiosi prorsus impatiens. Nec acidulis Pyrmontanis, more ipsi alias consveto, intra totidem annorum spatum, usus est. In locum cerevisiæ, quam turbidam ut plurimum, & feculentam accepferat, vinum, aquam, & per alternas, varii generis decocta substituit. Non cuiquam temere concessit aditum, nec cognato quidem, nisi quis esset, & quid vellet, per famulum prænunciasset. Accidentibus parum, sed modeste respondit: Interdum quoque asperius, pro statu valetudinis, & conditione causæ, quam quisque proponeret. Tandem ab omni hominum confortio penitus abhorruit, unius

Jo-

Joachimi, veterani militis, qui ipsi a manu fuit, confusione contentus. Ceterum a militibus, etiam gregariis, magni fuit habitus. Fuerunt, qui illius videndi cupiditate flagrantes, (etsi rara esset occasio,) commilitonum vices egerunt: Alii inter vigilias illachrymabantur carceri, tacti miseratione afflictissimi Theologi, certi quoque, si fugam capessivisset, (ut omnio potuit,) & induxisse comites futuri. Nec defuerunt contra, qui afflito majorem adderent afflictionem. Quorundam plebejis ineptiis immane, quantum! laceratus est. Visi sunt alii male feriati, qui sclopetis pavimento, sub quo excubias agebant, inflictis, nocturnam turbavere quietem; quorum, cum per ostium fennstellæ exprobraret petulantiam, penitendo ludibrio expulsus est. Aliquando a decurione, quem propter repetitas cavillationes liberius objurgaverat, & ut ferunt, lychnucho trajecerat, raptus, & in culcitram praeceps datus est. Famulus Joachimus, qui jussu Severini, ejus oppidi Consulis, novum annum captivo gratulatus est, praefecto arcis proditus, custodiae diurnæ penam tulit. Ab eodem Severino, litteratissimo homine, librum quendam legendum acceperat, in quo forte conspicillum illius vitreum repperit, quod, ubi per famulum remisit possessori suo, hujus etiam rei caussa, quasi nimis licenter egisset, male habitus est Joachimus. Major vero civium, & ipsius Senatus eluxit pietas. Horologio, carceri superimposito, per ipsos captivitatis annos feriae indictæ sunt, propter strepitum perpendiculari, quem ferre non potuit. Ceterum non æquali ubique animo tulit captivitatis jugum. Quandoque vehementer injectus est in adversarios, injurias, quas perpessus esset, summas, longa serie repetens: Mox Stephani

ni secutus institutum, pro iisdem apud Deum intercessit. Ad rumorem, qui etiam verus fuit, Feindium illum, famosi carminis, (Philargyriæ nomen est,) autorem, & execrabile flagellum cordati Theologi, per scalas præcipitem, cervicem fregisse Hamburgi, lecta que in mortem istam, quæ typis prodierat, mordaci satyra, alto pectore ingemiscens: Utinam, inquit, superstes, vitæ rationem redderet reipublicæ! aut manifestas pœnitentiæ notas edidisset! Nunquam carceris, sed otii pœnam conquestus est; jacturam opum, spartæ, & ipsius libertatis, nullam esse, præ immani illo dispendio bibliotheca, tanquam thesauri animi, & curarum medelæ. Relegarint, inquit, ad carceres, ad Garamantas & Indos! modobiblioteca comite, quæ etiam Grotio, hærefoes reo, indulta fuisset. Intercedente vero tempore ipsius Christi Servatoris exemplo erectus, mundana omnia, quid ni? librorum delicias aspernatus est, contentus eo, quod cum Paulo gentium doctore lucraretur Christum. Interdum etiam sales admisicuit seriis. Ex actis litterarum publicis mortem suam denunciatam intelligens, jam pisces esurus, quos in deliciis habuit, qvæsivit ex adstantium aliquo: Numquid in vita sua hominem mortuum vidisset pisces edere? Qui ubi negavit, addidit: Hic vides hominis prodigium, & legendam dedit schedulam. Quandoque, sed hybernis duntaxat temporibus, quopiam quasi errore fanatico correptus, quadrata rotundis miscere instituit; mox magnorum autorum ex orbe litterario, mox omnis generis leguminum nomina, etiam vilissimorum, longa serie repetens. Finxit aliquando aulam Cæsaream, appellavit ad summum Imperatorem, dicam scripsit adversariis, citavit, examinavit, judicavit, damnavit, absolvit.

Mox

Mox ad se rediens, ingemuit, Deum ardenter orans, ut mente  
in sanam in corpore sano servare pergeret. Sub finem vi-  
tae paulo lautioribus recreatus est dapibus; tria fercula fecere  
prandium, opipare apparata; cena fuit frugalis & parabilis.  
Lipsana, quæ famulo dare vetitus est, in frustula secuit, & per-  
fenestram objecit canibus & gallinis devoranda, temporis  
forte fallendi, aut animi remittendi gratia. Caldam bis coxit  
quotidie, prunæ enim & carbones à famulo largiter mini-  
strabantur. Pulvere sternutatorio frequenter usus est, ab her-  
ba Nicotiana, quâ alias sua suæ Medici, modica gayifus est, pror-  
sus abstinuit. Neque rei Músicæ fuit deditus, aut ulli arti Me-  
chanicæ, qua falleret tædia temporis. Interdiu solis ortum  
& occasum, meteora, ventos & tempestates quam diligen-  
tissime observavit. Extant ejus Meteoroscopiæ, sed ne-  
mini, etiam studiosissime ruspanti, perviae. Astris noctu  
intentus fuit, et si omni artis illius instrumento, aut subsidio  
destitutus, & a libera cceli facie remotus. Nonnunquam ipsi  
traditæ sunt amicorum, quos necessitudo domestica com-  
pulerat, epistolæ familiares, quarum alias in arculis asservar-  
vit, alias bis vel ter lectas, concerpsit & dissipavit. Respondit  
etiam, si quando calamus & atramentum singulari beneficio  
concederentur; attamen, quicquid responsi concinnave-  
rat, vel interceptum, vel obliteratum est, obeliscis adeo cras-  
sis, ut ne apiculus quidem scripturæ extersæ cognosci posset.  
Nimirum interdictum erat captivo de statu causæ suæ vel  
unam voculam inserere. Summus Dux belli a Klinckau-  
strom, arcis Praefectus, humillimis à captivo rogatus preci-  
bus, ad concinnandam defensionem causæ suæ, indulxit atra-  
mentum, chartam & calatum, simulans, se Regi Magnæ Bri-  
tanniæ, si quid elaborati scriberet, exhibitum. His ad-  
jutus mediis, implevit undeviginti folia, trium partium tra-  
cta-

Etatum, primam, quæ litis exordia, alteram, quæ litem ipsam,  
&, quæ respot litem gestas exponeret, tertiam. Miratus  
est ille viri summum judicium, mirum causæ ordinem, argu-  
mentorumque rara pondera, ex quibus hoc primarium:  
Quod a nullo judice fuisse auditus, nisi ab eo, quem auctorem  
fuisse, sciret. Cætera quoque non contemnendi ponderis:  
Quod nocturno impetu è domo protraxissent, cui, per ami-  
cos toties monito, fugam capessere, in proclivi fuisse; quod  
per totius anni decursum caruisset causæ patrono, quem  
postea concessum, prælecta prima defensionis parte, in car-  
cerem conjecissent; hoc sublato, surrogatum esse alium,  
sed exemplo prioris territum, & timidum, cum e Saxonia  
defensorem magis fidum & cordatum præstolatus sit; quod  
solum cum solo loqui vettuissent, admoto jugiter verborum  
aucupe, & quæ sexaginta alia, paulo extantiora. Sed veri-  
tus ille, ne bilem moveret legentibus, concerpsit, & igni man-  
davit. Præbuit se vir magnus in Saxonia deprecatorem pro-  
longiori captivitate, cui ille renuntiari jussit: Precibus la-  
vari peccata, quibus se nullis, si à Deo discesserit, in rempu-  
blicam ullo tempore turpem dedisset. Acta publica revi-  
denda esse Viennæ, via juris incedendum, gratiam rogari  
scelestis. Atque sic afflictissimus magno conatu perfecit  
nihil. Varias interim Diatribas Polemico - Exegeticas,  
Physico - Morales, affabre composuit, & cum præfamine,  
semestri ante obitum tempore, commendavit bibliopolis.  
Est in manu nostra magna chartarum vis, ex ipsis custodiæ  
repagulis collecta, rebus luce publica per quam dignis re-  
ferta, quas, cum per otium licuerit, & impensa obti-  
gerint, edere constituimus. Decem, antequam extinctus  
est, annos, laborare ccepit dolore laterum, accessit verti-  
go capitis, cum difficultate spirandi, æstu atque frigore  
ju-

jugiter alternantibus. Accersivit Medicum & Chirurgum, qui venæ incisione occursarent morbo; sed irritis, opinor, successibus, quod malum indies magis magisque ingravesceret. Rebus sic labentibus, in habitum morituri se se composuit, rebus tamen, quibuscumque posset, animulae prospiciens, artique Medicæ gnaviter inserviens, tantum abest, ut mortem, sed justum justæ causæ vindicem, etiam tum, expectaverit. Aliud ipse conclave oblatum est, pellucidius, purius, laxius; sed recusavit mutare carcerem cum carcere, ob supra memoratas causas. Accessit Pastor Ecclesiæ Hameliensis Primarius, cui, cum de extremis multa disseruisset, quid, inquit, opus est verbis? Tu, si hic sies, alter sentias, morior exemplo per orbem purioris doctrinæ inaudito. Appello ad Deum, sumnum causæ judicem, cuius nimirum tribunal jam subibo. Cecidi in his terris causâ meâ, per injuriam temporis; sed salute mea non excidam. Percontanti sacrorum antistiti: Numquid jam æterna meditari vellet? Dudum, inquit, æterna meditatus sum, ad perpetuos nimirum carceres damnatus, & æternas teneas, officio, libertate, bonis omnibus exutus; nec longa illi ad Deum via patet, qui mundanis ereptus, præsentissimum habuit ejus numen. Neque enim proximiore quam usus sum in hac solitudine, præter Deum, cum quo nimirum scripsi, cum quo locutus sum, quem carceris socium habui, qui in angustiis solatium, in tristibus gaudium extitit. In hac palæstra me exercui, & jam ad illius Pauli, cuius certamen certavi, cuius fidem servavi, coronam adspiro. O! ingratis vitæ socii, spes & fortuna, valete! Quæ cum intellexissem reverendus Pastor, ultima peracta salutatione, discessit. Successit Medicus, cum quo, post historiam morbi, varia è Divo Jobo, & Hymnis Davidicis, ad statum præsentem opportune

repetiit, demta omni linguae amaritudine, & rancore animi.  
 Chirurgum tamen huic colloquio interesse, veruit, quem hominem profanum esse crediderat. Famulus autem non discessit a latere, rebus, quibus cunque posset, opitulatus afflito. Quem, cum ex signis faciei, instantis obitus commonefecisset: Veniat, ait, JESus Servator meus! ad discessum ex his terris paratus sum! Jam de lectulo surgere, pedes tentare, gressum moliri; sed titubare, labascere, corruere. In lectulum ægre reductus, identidem ingemuit: Accedat redemptor meus JESUS! Tandem oculos claudere, altum dormire, interdum ronchos ducere, mox anhelare, jactare palmas, plumas vellicare, caput motitare, torpescere. Jam absterto sudore, quo frigido maduerat, in extremis defixus, denuo suspiravit ad Deum, & JESUM Christum salutis originem, cuius manibus commendavit animulam, & paulatim requievit. Famulo interea preculas clara voce recitanti: Pulcræ, inquit, pulcræ sunt preces tuæ, Joachime! sed define, Deum pectore inclusum teneo. Quibus dictis, ubi antea pomum igne tostum comedisset, digitos complicuit, & inter verba morientis Christi: Spiritum meum commendando manibus tuis, cœlestis pater! placidâ eidem morte restituit animam, hora scilicet duodecima-prima, nocturna; die quinto Decembbris, anno M. DCC. XXV. Famulus, perspecta Domini sui morte, per fenestram excubiis proximestantibus, acclamavit sonora voce: Mortuum esse dominum suum, irent, & nunciarent Praefecto vigiliarum. Vigil vigili, ut fit, per stationes occlamans, rem facile detulit ad Praefectum, qui, adscitistribus armatis, recluso protinus ostio carceris, corpus exanime visitavit, quod, cum vere exanimatum esse intelligeret, tabulae imponi curavit & foribus iterum reclusis, discessit, relictis, qui custodirent exuvias. Ingruente luce

luce judex militaris cum adjutore, quem vocant, castrensi, supellectilem omnem vestiariam, & quæ composuit MSC. diligenter numerata, convasavit, quibus sigillo Summi Duci Bellici subsignatis, defuncti exuvias ad sepulturam præparari jubet. Postero die linteamentis & stola ferali holoferica involutum cadaver loculo inseri, & ostentui dari jussit accedentibus. Postridie autem, die nimirum Sabbathico, à milite gregario elatus est è custodia, in templum turri fere contiguum. Ardebat ex utraque feretri parte cerei, funere honestissimi cuiuslibet viri digni. Ad quod spectaculum accedebat hominum utriusque sexus atque ordinis ingens multitudo; quorum alii causam delicti resciscere, & carceris tam diuturni squalorem; alii fato hominis ingemere, laudare alii in adversis constantiam, *euθυναστιαν*, & honestum sepulturæ modum: alii sibi gratulari, vidisse examinem in libertate, quem vivum in carcere videre, non contigisset; jam rupta esse vincula perpetui carceris, & discussas tenebras sempiternas luce æternum duraturæ vitæ. Hora à meridie octava, à duodecim reipublicæ ejus civibus in cœmiterium, ad templum Monasterii, quod longe abhinc abjacet, elatus est. Quatuor Scholæ oppidanæ Collegæ, cum totidem ci-vium honoratorum paribus, feretrum sequebantur, viginti quatuor laternis ex utroque latere sequentibus. Pastores Ecclesiæ oppidanæ funus comitari jussi, et si stipendia solito majora acceperant, non comparuerunt: Præfecti autem militum inferioris ordinis capulum à latere secuti sunt, confusa hominum undique confluentium stipati multitudine. Humatus est honesto cœmiterii loco, medius inter mercatorem & studiosum, ad radices vicinæ arboris. Excubiae vero non discesserunt à funere, nisi jam superinjectâ terrâ, & signo avocationis solenni edito.

Scripsit, nescio quis, in memoriam avunculi Epitaphium:  
 Sub hoc Tumulo  
 recubat

**CHRISTIANVS KRVMHOLZIVS,**

S. S. Theol. Doctor Celeberrimus,

Nat. in Saxonia Neostadii, ad fines Bohemorum,

Ao. 1662. ipso die Martini,

Concionator quondam apud Lipsienses  
 SABBATHICVS,

Dein Pastor Ecclesiæ Evangelico - Lutheranæ

Posoniensis in Hungaria,

Post ad D. Sophiae Dresdensis

in Saxonia,

Tandem ad D. Petri & Pauli

in urbe Hamburgo,

Qui

E carceribus temporariis

Ad

Æternam migravit libertatem,

Hameliae Saxonum

Ad Visurgim

Anno Æræ Christianæ M. DCC. XXV, V. Dec.

Ætatis LXIII.

Captivitatis XVIII.

Officiorum, quibus præfuit XX.

Cujus ossa requiescant

in pace!

Supereft, ut L. B. in fidem historiæ inquisituro, rationes addam,  
 quibus nifus, iſta omnia de captivi morte & sepultura condidi. Avunculus nimirum, poſtea, quam diu multumque in cacere jactatus, tandemque ē numero viventium eruptus eſt: Fama de morte ejus etiam ad nos percrebuit, ſed adeo manca, dubia & obſcura, ut nec de morbi genere, nec morte & ſepeliendi ratione familiaribus recte conſtatet. Qvare proxime ſequente anno, vigefimo ſcilicet ſexto, ſoror ejus Germana, (jam inter cœlites,) Hameliam profecta nobiscum eſt, eo fine, ut ſtatutum cauſæ ex iis, qui languenti, moribundo & mortuo

a la-

à latere steterant, rescisceret, non neglecta cura quantulicunque peculii. Ad eam igitur causam, ubi gratia & indultu Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis, & Electoris Hannoverani perrimandam admitteretur: Non modo rem omnem, cuius explorandæ libido incessiterat, longo ordine, rescivit, sed omnem quoque suppelleciliæ, præcipue librariam, vestiariam & chartariam diligentissime perquisivit. Quanquam enim omnia ejus suppellecilia, etiam aurea, argentea & numaria, cum splendissimo Bibliothecæ apparatu, Hamburgi olim sub hasta venierunt: Tamen e schedulis avunculi manu scriptis cognovit, esse civium quorundam Hamburgensium nomina, argento fratris obærata, quæ postmodum, sic moderante Amplissimo Hamburgensis Reipublicæ Senatu, hæredi eidem ex asse pleraque expedita sunt; in qua causa Magnifici Consulis Andersonii, Brockesii, & Rulandi summa gratia & benevolentia perspecta est. Superabat etiam in ærario Hannoverano certus pecuniæ modus, usibus nimirum captivi quotannis dicari solitus, trecentorum, & quod supererat, Joachimicorum summa. Hanc etiam, & quicquid exuberabat, Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ clementia, ad stipulante Senatu Hamburgico, hæredi præstari jussit. Vestium nimirum eam habebat copiam, quæ & frigori per hyemem defendendo, per æstatem calori, sufficeret. Auri & argenti nihil reliquit, nisi quod contineretur in ærario bellico. Inventa est etiam post fata ejus ingens chartarum farrago, cuius materias, quia typis publicis vulgari voluit, certis plagulis textas, suisque titulis confignatas, justo ordine disposuerat, quorum elenchum addere facillimum esset, nisi jam ad id festinaret oratio, cuius expediendi causa ista omnia præmisimus.

Nimirum discedet ex hoc commilitonum consortio, Vir - Juvenis Pereximus & pulcre doctus JOANNES GOTTLÖB WELLERVS, Lauenhayna-Misn. discipulus ejus generis, quales optavit Aristoteles, videlicet, qui præcedentes gnaviter insequantur, sequentes non morentur. Ut vero dicam, quod res est, fuit omnium, qui præcedebant, primus, excitavit autem exemplo suo plures, qui sequebantur. Id quod vel a natura habuit, quam in tribuendis animi dotibus benignam expertus est, vel a provida parentum magistrorumque institutione. Curâ nimirum, vigiliis & precibus Venerandi Senis, &c, qui emerito à latere junctus est, Plurimum - Reverendi Fratris, id obtinuit, ut, cum in numerū discentium reciperetur, suæ ætatis omnibus, aut par esset, aut

aut superior. Si itaque bona institutio, teste Hippomacho, e pueri dictis & factis elucet: Fieri non potuit, quin exemplum esset aliis, quod imitarentur. Itaque pietate, quam in Deum erat, sincerâ, & modestiâ suâ, multorum castigavit effrænos mores, indefessa litterarum tractatione, plurium carpit socordiam, reverentia in Magistros, aliorum procacitatem. Ut enim ad mentem Agesilai in iis solummodo rebus institutus esset, quibus uti vellet, quum ad virilem ætatem pervenisset: Ita inter pueros juvenem, inter juvenes virum præstítit; nihil unquam dixit, aut factitavit, ulla animadversione dignum. Quicquid petulantius agerent alii, damnavit, si quid abnorme, correxit, si quid recti, laudavit, eligendo ex omnibus, quod esset optimum. Hoc usus instituto sic profecit in literis, præcipue Latinis, Græcis & Hebraicis, ut omnibus æqualium suorum palmam præriperet. Poëseos Teutonicæ & Latinæ plura nobis dedit specimina, utque nec linguae gallicæ ignarus est: Ita nec indignum putavit ingenuo homine, artem delibare Musicam. Etsi enim Jovem neque canere, neque citharam pulsare, crederet Aristoteles: Tamen id studii prorsus intactum relinquere nefas arbitratuſ est noster, quod etiam in Sacris aliquem ejus usum fore, credidit. Superest, ut abituro bene precemur omnes, quos parentum loco veneratus est. Hoc nomine Tibi L. B. de meliori commendamus bonum hominem. Vos autem Viri, Summe- & Plurimum-Reverenda dignitate Venerabiles, Rerum gerendarum prudentia Spectabiles, & quotquot Musis favetis alii, id dabitis ingenio Juveni, ut eum de laude Gentis Wellerianæ ultima verba publice dicturum audiatis.

Prement autem ejus vestigia

JOANNES SOLBRIGIUS, Ifersgr. Varisc. Orat. metrico-lat. in laudem Zechendorfii.

CAROLUS FRIDERICUS BREHMIUS, Neostad-Misn. Orat. germ. in laudem Daumii.

JOANNES CHRISTIANUS HEYNIUS, Crumbaco - Misn. Oratione lat. in laudem Vinholdi, Rectorum de Schola Cygnensi immortaliter meritorum.

Succinct abituro plausibus votivis:

JOANNES FRIDERICUS DROBISCHIUS, Cygn-Misn. Carm. germ.

JOANNES GODOFREDUS GRAUPNERIUS, Schoenav-Misn. Orat. lat.

GOTTHILFF PEZOLDIUS, Lengenfeld-Varisc. Orat. græc.

JOANNES FRIDERICUS KNICKERIUS, Cygn-Misn. Orat. gall.

GOTTFRIED LEONHARD HEUBNERIUS, Schwarzenberga-Misn. Carm. lat.

CAROLUS THEOPHILUS SEYDELIUS, Cygn-Misn. Orat. germ.

Faxit Deus, ut Schola Cygnensis, eo, quo haec tenus modo, crevit, succrescat!





Zc 2503.




KOPP

VD 17

N.C.



B.I.G.



174

VLTIMA FATA,  
MORBVM, MORTEM,  
ET  
**SEPVLTVRAM**  
**D. CHRISTIANI KRVMHOLZII,**  
PASTORIS OLIM AD D. PETR. HAMB.  

---

**SVB DISCESSVM**  
**VIRI - JUVENIS**  
PEREXIMII, POLITISSIMI, LITTERATISSIMIQUE  
**JOANNIS GOTTLLOB WELLERI,**  
LAVENHAYNA - MISNICI,  
QVEM  
E LYCEO CYGNEO  
AD ACADEMIAM LIPSIENSEM  
V. NON. OCTOB. A. O. C. cl. Icc. XLII. PARAVIT,  
**ACTVI PVBLICO,**  
AD QVEM  
**VIR OS**  
SVMME - ET PLVRIMVM - REVERENDOS, CONSULTISSIMOS,  
AMPLISSIMOS, DOCTISSIMOSQUE  
**EPHORVM, INSPECTORES GRAVISSIMOS,**  
CETEROSQUE REIPUBLICÆ LITTERARIÆ  
**PATRONOS,**  
**STVDIORVMQUE PROMOTORES ET FAVTORES**  
EA, QVA DECEP PIETATE ET REVERENTIA, INVITAT,  
PRÆFAMINIS LOCO PRÆMITTERE  
VOLVIT  
**M. CHRISTIANVS CLODIVS,**  
RECT. ET BIBLIOTHEC. SOCIET. TEVT. LIPS. ET LAT. JEN. SOCIVS.  

---

**CYGNEÆ, STANNO HOEFERIANO.**